

rat. Beatus quidem, qui dimittit omnia, et sequitur eum. Sed et ille beatus est, qui quod habet, ex affectu facit. Denique duo aera viduae illius divitum muneribus praetulit: quia totum illa quod habuit, contulit: illi autem ex abundantia partem exiguum contulerunt.<sup>1)</sup> Affectus igitur divitem collationem aut pauperem facit, et pretium rebus imponit. Caeterum Deus non vult simul effundi opes, sed dispensari: nisi forte ut Eliseus qui boves suos occidit, et pavit pauperes ex eo quod habuit;<sup>2)</sup> ut nulla cura teneretur domestica, sed relictis omnibus, in disciplinam se propheticam daret. Est etiam illa probanda liberalitas, ut proximos seminis tui non despicias, si egere cognoscas. Melius est enim ut ipse subvenias tuis, quibus pudor est ab aliis sumptum deposcere, aut alicui postulare subsidium necessitatibus: non tamen ut illi ditiores eo fieri velint, quod tu potes conferre inopibus; causa enim præstat, non gratia. Neque enim propterea te Domino dicasti, ut tuos divites facias: sed ut vitam tibi perpetuam fructu boni operis acquiras, et pretio miserationis peccata redimas tua. Putant se parum poscere? Pretium tuum querunt, vitae tuæ fructum adimere contendunt, et se juste facere putant. Et accusat quod eum divitem non feceris, cum te ilie velit æternæ vitae fraudare mercede. Consilium prompsimus, auctoritatem petamus. Primum neminem debet pudere, si ex divite pauper fiat, dum largitur pauperi; quia Christus pauper factus est, cum dives esset, ut omnes sua inopia ditaret. Dedit regulam quam sequamur, ut bona ratio sit exinaniti patrimonii; si quis pauperum famem reputat, inopiam sublevavit. Unde «Et consilium in hoc do, Apostolus dicit; hoc enim vobis utile est, ut Christum imitemini.»<sup>3)</sup> Consilium bonis datur, correptio errantes coercet. Denique quasi bonis dicit: «Quia non tantum facere, sed et velle cœpistis ab anno præterito<sup>4)</sup>.» Perfectorum utrumque

1) Lyc. 21. 2) 3 Reg. 19. 3) 2 Cor. 8. 4) Ibid.